D. O. M. A.

Decas poſitionum juridicarum

De

CULPA,

Quam

Conſenſu & autoritate Magnifici Dn. Ordinarii, Ampliſsimi Dni. Senioris, ut & Reliquorum Inclytæ Facultatis Juridicæ Lipſienſis Doctorum Clariſſimorum,

Sub Præſidio

Wilhelmi Schmuckii, U. J. D. & Profeſſoris publ.

Defendendam publicè proponit

M. Johannes Born Lipſicus.

Ad diem 4. Maij, qui Jovis eſt & Ordinariis diſputationib. deſtinatus

Horis & loco conſuetis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Lipſię,

Excudebatur à FRIDERICO LANCKISIO.

ANNO M. DC. XX.

VIRO

Reverendo, Magnifico & Conſultiſſimo

Dn. Franciſco Romano, in Muckerſzhauſen & Brauſick/

JCto, Sereniſsimi Electoris Saxoniæ Conſiliario, Facultatis Juridicæ, in Academia Lipſienſi, Ordinario, Supremę Curię provincialis Aſſeſſori & Canonico Martispurgenſi digniſsimo.

Dn. Fautori, Præceptori ac Promotori ſuo perpetuò honore atq; obſervantià colendo.

Haſce poſitiones juridicas

conſecrat
offert
dedicat

M. Joan. Born Author & Reſpondens.

POSITIO I.

Culpam [A] definimus [B] præ-
teritionem ſeu omiſsio-
nem diligentiæ, [C] alienis [D] re-
bus & negotiis debitæ, [E] quæ
humanitùs alioquin evitari
potuiſſet. [F]

A) Vox culpæ, tàm generaliter quàm ſpecialiter in jure noſtro accipitur: Culpa in genere conſiderata, omne delictum includit, & quamcunq; fraudem, machinationem, verſutiam, malitiam, imperitiam & negligentiam, ut apud Ciceronem li. 1. Officior. Cavendum ne major pœna quàm culpa ſit. Catull. Tantum tibi gaudium in omni culpa eſt, in quacunq; aliquid ſceleris. Et ſecundum tritum illud: Nihil nobis in vita præſtandum præter culpam; Id quod approbatur per l. is damnum 169. in pr. ff. de Reg. Jur. l. ſi ſervum 91. §. 1. ff. de verb. obliga. Connan. lib. 7. cap. 4. num. 7. In jure feudali dicitur Felonia § Domino, ſi de feud. defunct. content. t. t. de Vaſallo, qui contra Conſti. Lotharij &c. t. t qualiter Dominus propri. feud. prive. Rainaldus

cap. 1. § præterea de prohibiti: ſeud. num. 31. Vultejus 1. Feud. c. 11. Borcholt. cap. 2. num. 17. Propriè autem & in ſpecie voce culpæ ſumtâ, imprudentiam, imperitiam, ac negligentiam, ut in præſenti hac diſputatione noſtra denotat, Coraſius lib. 4. Miſcellan. cap. 1. num. 8. cum ſeq. Decianus li. 1. tract. crimin. cap. 6. nu. 4. Atq; dolo & fraude ſeparatur in l. 1. § is quoq; 5. ff. de obliga. & action. l. 22. § 3. in fin. ff. ad SC. Trebellian. l. adverſus 1. § 1. ibi. ſed et ſi ff. ſi menſor. falſ. mod. dixerit l. fidejuſſor. 29. in pr. ff. mandati l. quæſitum 8. § quod à Titio ff. de precario. Hinc non inconſultò quidam culpam ſolent diſcernere in culpam malitiæ & imprudentiæ; Per hanc dolum intelligentes, per illam verò culpam propriè dictam, Gæddæus in comment. ad l. cedere diem 213. § 2. num. 1. argum. l. ſi ſervum 91. pr. & § 1. ff. de verb. obligati. Zaſius ad l. ſi mora 9. ff. ſolut. matrimon. Et huc referri poteſt Donatus (ad illud Terentij in Hecyra: Non mea pol opera, neq; culpa evenit) opera eſt, inquit, ſi ſcientes læſerimus, culpa, ſi neſcientes, quorum alterum ſceleris eſt, alterum ſtultitiæ. Et Plautus in Epidic. act. 5 ſcen. 2. in fin. ait:

Oro te Epidice,
Mihi ignoſcas, ſi quid imprudens culpa peccavi mea.

B) Aliter eam definit Bartol. in l. quod Nerva ff. depoſiti; Aliter Hotomannus lib. 5. Obſervati. cap. 12. Videatur Coraſius 4. Miſcellan. cap. 1. & Delrio ad l. 23. de reg. jur. cap. 1. pag. (m) 117. Hanc autem definitionem

nem eſſe perfectam, exinde liquet, quia conſtat genere & differentia ſpecifica; Genus eſt diligentiæ omiſſio; Differentia triplex eſt: 1. deſumitur ab objecto, quod ſunt res ſeu negotia aliena. 2. petitur à ſubjecto, quod itidem conſiſtit in duabus perſonis, tùm quæ læſionem ſentit, tum verò quæ nocet, ita tamen, ut in eam, quæ nocet, qualitas culpæ cadat: Loquimur enim de illis perſonis, quæ vera ratione prædita ſunt, & ita meritò excluſos eſſe furioſos & fatuos, utpote rationis expertes, neminem clam eſſe putamus per l. divus ff. de Offic. Præſid. l. ſed etſi 5. § & ideò 2. ff. ad l. Aquilia l. fin. ff. de Adminiſtra. tutor. C. mulier juncto C. aliquos, 15. q. 1. Zaſ. lib. 1. Reſpon. ſingul. Clem. 1. de homicid. 3. à poſſibilitate, ne videlicet ipſa natura prohibeat, ſed in hominis ſit poteſtate. Impoſſibilium enim nulla nec obligatio nec præſtatio l. 135. l. impoſſibil. 185. l. 188. § 1. ff. de Reg. jur. § 10. Inſt. de hæred. inſtit. l. filius, 15 ff. de condition. inſtituti.

C) *Dum quis per deſidiam in rebus alienis, vel peccat in defectu & facienda negligit, vel delinquit in exceſſu & omittenda effectui dat, juxta l. qui non facit 121. ff. de R. J. fac. § præterea, Inſt. quibus mod. re contrahi: obliga. § pen. Inſt. de locat. conducti. l. ſi merces 25. § conductor 3. cum § ſeq. ff. Eodem l. utiq; 16. § 1. l. 36. § 1. cum l. ſeq. ff. de Rei vindicati: Cujac. ad l. 91. ff. de V. O. Vtroq; enim modo culpa committitur, ita tamen ut ſequatur læſio quæ imprudentiam habeat comitem, id eſt, talis læſio quæ oriatur ex animi ſegnitie; vel*

 ruſti-

ruſticitate, vel ſimplicitate ſecundum l. tutor. 3. § qui ob ſegnitiem 18. ff. de ſuſpect. tutor. vel Curator: Quemadmodum enim dolus, non niſi conjunctam habeat læſionem, conſideratur arg. l. ſi quis in pignor. 36. § ſed et ſi 1. ff. de pignoratiti: actio: Sic quoq; & multò magis quidem in culpa ſe res habebit. Genus ergò in definitione poſitum cum effectu eſt accipiendum, quatenus videlicet talis diligentiæ omiſſio alteri damnum creat, cum nemini debeat imputari negligentia, ubi diligentia nihil effectura fuiſſet, uti ait Capell. Toloſan. queſt. 257. Cravetta conſil. 83.

D) *Culpa enim primariò circa res alienas verſatur, in adminiſtratione verò rerum propriarum, nulla illius ratio habetur, nec unquam de damno reſarciendo judicium fit l. etiam 18. § licet 1. ff. ſoluto matrimonio. l. quod quis 203. ff. de R. J.*

E) *Obligatio iſta, oriatur vel ex contractu verò ſecundum l. 5. ff. commodati, § item is Inſt. quib. mod. re contra. oblig. § creditor Inſt. Eodem § Socius Inſt. de Societa. Vel ex quaſi contractu, perinde eſt. § 1 § tutores 2. Inſt. de obliga; quæ quaſi ex contrac. naſcun. l. 2. C. de in litem jurando. l. 13. § fin. ff. Comm.*

F) *Et per hæc verba culpam ſecernimus à caſu fortuito. Siquidem culpa propter incurioſitatem eſt reprehenſibilis, & lædentem obſtringit, qui adhibita diligentiâ damnum potuiſſet præcavere: Caſus fortuiti verò citra omnem hominis providentiam plerunq; incide-*

re

re ſolent, utpote; Mors, fuga hominis, rapinæ, tumultus, incendia à tempeſtate orta, aquarum magnitudines, ruinæ, naufragia, impetus Prædonum, Bella, juxta Paulum, 2. ſenten. 4. & ſi qui ſunt alij, quibus de in l. contractus quidam 23. ff. de Reg. jur. l. quæ fortuitis 6. C. de pignorati. actio. Immò horum ea eſt ratio, ut nec dici facilè nec enumerari queant, teſte Imperatore Juſtiniano in l. fin. § & cum antea 1. C. de tempori. & reparatio. appellati. Varie enim & inopinanter ſeu fato quodam ſingulari eveniunt l. cum duobus 52. § damna 3. ff. pro ſocio. l. non utiq; 2. ſi eo 7. ff. de adminiſtra. rer. ad civitat. pertinen. l. 5. § quod verò 4. ff. commod. l. 1. §. is verò ff. de obliga. & actio. fac. l. Julianus 6. ff. qui & à quib. manumiſſ. lib. non fiunt l. 1. ff. de in litem juran. l. cum hi, in fin. ff. de tranſaction. Quod ſi culpa præcedens anſam hujuscemodi nocumentis præbuerit, tum à caſibus fortuitis, damna iſta data fuiſſe, haudquaqam cenſendum eſt per l. non exigimus 2. in fin. ff. ſi quis caution. & c. l. 11. ff. de incendio, ruina, naufrag. l. capitalium 28. § incendiarij 12. ff. de pœnis. l. ſi ſervus ſervum 27. § ſi fornicarius 9. ff. ad l. Aquiliam. l. qui petitorio 36. § 1. ff. de Rei vindi. l. eum qui 14. § an pater 10. ff. de Furtis § item is 2. ibi. Si modo Inſt. quib. mod. re contrahi. obligatio: Hartm. Piſtor. li. 1. quæſt. 18. num. 8. Panormitan. in c. 2. extr. depoſiti.

Po-

Positio II.

Culpam in gradus [A] tres diſcernendo, [B] Latam, Levem & Leviſsimam conſtituimus.

A) Gradus dicimus non ſpecies, quia ea quæ gradu intenduntur, ſpecificam differentiam non recipiunt; Et juxta vulgare illud: Magis & minus diverſas ſpecies non efficiunt l. fin. ff. de inſtruc. vel inſtrum. leg. l. is cui, in pr. ff. quemadmodum ſervitut. amittan. Hinc eſt, quod JCtus ait in l. ubi 75. §. uſq; 2. ff. de verb. obligati. Id, quod optimum eſt, ipſum quoq; bonum eſſe, cum bonum ab optimo gradu tantum diſtet, quod non procederet, ſi ſpecie eſſet disjunctum. Simile exemplum habetur apud Ariſtotelem de virtute heroica, li. 7. Ethic. cap. 1. Videantur etiam Vdalricus Zaſius lib. 1. Reſponſi. ſingul. cap. 2. Vbi exemplum adducit ex Galeno lib. 1. de Sanitate tuenda. Petr. Gregorius lib. 21. Syntagma. jur. cap. 11. num. 3. Duarenus de commodato c. 8. Curtius 20. conjectur. 28. Cujac. ad l. 23. de R. J. Gregor. Lopez animadverſi. c. 17. num. 3. & 4. Lycklama 7. Membra: 34. Coraſi. li. 4. Miſcellan. cap. 1. num. 11. cum ſeqq. Decianus 1. tract. crimin: 6. num. 8. Diſſent. Div. Tomas 1. par. quæſti. 50. Artic. 4. Gædd. ad l. 213. § ult. ff. de V. S. num. 1. in fin. ubi planè inter gradus & ſpecies

non

non diſtinguit. Petr. Loriotus de reg. jur. axioma. 138. Rebuffus ad l. latæ 233. de V. S. & alij.

B) *Ad miraculum hic Interpretes inter ſe altercantur in conſtituendis ſpeciebus, ſeu (ut nobis placet) gradibus culpæ. Bartolus in l. quod Nerva ff. depoſiti, quinq; ſpecies tradit, videlicet: Latiſſimam, latiorem, latam, levem & leviſſimam. Latiſſimam manifeſto dolo aſcribens latiorem verò præſumpto: Sed quid de hâc in ſpecies diſtributione cenſendum ſit, nemini facilè abſconditum eſſe poteſt. Aliter Zaſius d li. 1. Reſponſ. cap. 2. eumq; ſecuti Vultej. in diſcepta. ſchol. cap. 15. p. (m) 123. Delrio in d. l. 23. cap. 1. pag. (m) 119. cum ſeqq. aliter, inquam, tractant culparum materiem, illi enim in duas tantùm ſpecies culpã diſtinguunt, in latam videlicet & levẽ, etiamſi non negent levem & leviſſimam diſtinctis nominibus uſurpari, eamq; ſententiam ſuam probare nituntur per l. 47. § 5. ff. de legat. 1. Sed quid de illâ etiam diviſione judicandum ſit, ſatis abundè patet ex ipſa l. 47. ab eis allegata, ex quo textu luce meridianâ clarius apparet tres culpæ gradus dari, cum 1. Fiat mentio ejus culpæ, quæ dolo proximè accedit i. e. latæ. 2. Expreſſis verbis culpæ levis. 3. diligentiæ h. e. leviſſimæ. Ut ergò ſupra ita etiamnum nullas ſpecies, tres verò gradus culpæ ſtatuimus, eosq; collectos volumus à negligentiæ oppoſito, diligentia ſcilicet, idq; per l. 213. § ult. ff de V. S. d. l. 23. de R. J. l. à procuratore 13. C. Mandati. l. 5. § nunc videndum ff. comodati, ibiq; VVeſemb. in para.*

B *num.*

num. 8. cum ſeq. Gregor. Lopez. cap. 17. animadverſi. juris civ. & allegata ibidem. Anton. Faber deca. 70. erro. 1. Cujacius ad d. l. contractûs. Vultejus in commentar. ad tit. Inſt. de Action. § ſequens illa. num. 75. Andreas Geil. lib. 1. Obſervation. practic. 45.

POSITIO III.

Lata[A] eſt nimia negligentia, [B] quâ quis in negotiis alienis tractandis, neſcit id facere aut omittere, quod omnes, aut major pars intelligunt[C].

A) *h. e. ſummi gradus culpa, quando quis eam non adhibet curam, quam omnes promiſcuè adhibuiſſent, idq; ex collatione cum diligentia minima Cujac. in d. l. contractus.*

B) *à JCto Celſo in d. l. quod Nerva 32. ff. depoſiti vocatur Latior, aliàs lata negligentia, ut in l. tutor. 7. § competet ff. de Adminiſtratione tutor. vulgò dicitur magna negligentia, ſicut eam appellat Paulus in l. magna 226. ff. de verb. ſignif. Addatur & l. 1. § 5. in fin. ff. de obliga. & acti. l. regula 9. § 2. ff. de jur. & fac. ignor. l. homo liber 54. § 2. ff. de Acquirend. rerum domin. Olden-*

dendorp. trac. de culpa. Et non immeritò; Tanta enim hic eſt fraudis ſuſpicio, ut talis incurioſitas rectè videatur dolo comparanda, vel eidem proxima d. l. 32. ff. depoſ. l. 1. § non aliàs 2. ff. ſi quis teſtament. liber eſſe juſſ. fuer. Notandum tamen hoc loco, culpam latam à dolo propriè dicto reverâ eſſe diſtinctam; quæ res ut eò meliùs intelligatur, ad duas præcipuè diſtinctiones attendendum erit: 1. diſtinguimus inter dolum & culpam latam propriè ita dictam, Dolum finimus omnem fraudem, machinationem, verſutiam, ad alterum decipiendum adhibitam, ſive fiat ſimulando, ſive agendo per fallaciam calliditatemve, ſecundum l. 1. § 2. ff. de dolo malo, neq; etiam hoc loco inter fraudem & machinationem diſtinguimus cum l. 7. § ſed ſi fraudandi 10. ff. de pactis, ubi Jaſon. Et ille eſt dolus, quem teſte Cicerone lib. 3. Officior. Gallus Aquilius definit, cum aliud agitur, & aliud ſimulatè concipitur. Vid. Paulus lib. 5. ſenten. tit. 8. Lata verò culpa eſt ſumma & diſſoluta negligentia atq; ignoratio. l. cum ſex 55. ff. de Ædili. Edic. quando quis vel omittit, quod nullus ſanæ mentis omiſiſſet, vel facit quod nemo facturus fuiſſet, idq; per imprudentiam & ignorantiam quodammodo, quippe rem non aliter intelligebat l. ſi quis 7. § doli mali 4. ff. de jurisdict. Gædd. ad d. l. magna de Verb. ſignifi. 2. Diſtinguendum inter contractus & delicta; In contractibus enim culpa lata dolo æquiparatur, eiq; proxima eſt ratione effectus (quod adeò verum eſt, ut in omni etiam præſtetur con-

tractu, quamvis dolum ſolum recipere dicatur l. 1. C. depoſiti l. 1. § ult. ff. Eodem l. 8. § 3. ff. de precario) & ita interpretandi veniunt textus illi difficultate ſuâ non carentes & à multis hinc inde diſputati in d. l. 32 ff. depoſiti, (ubi negatio, non abundat, Delrio ad l. 23. de R. J. cap. 1. interpr. hiſtor. Gothofred. in not. ad d. l. 32. Diſſent. Hotom in 3. obſervation. 2. in fin.) l. ſi fortuito 11. ff. de incend. ruin. naufrag. l. mulier 22. § 3. ff. ad SC. Trebellian. d. l. 1. § 2. ff. ſi quis teſtamen. lib. eſſe juſ. l. 1. § lata culpa ff. ſi menſor falſ. mod. dix. Item in quaſi contractibus, ut ratione tutelæ l. tutor. 7. § competet 2. in fin. ff. de Adminiſtr. & peric. tutor l. impuberibus 7. § ſi fraus 1. ff. de ſuſpect. tutor. Immò & in veris & quaſi delictis, ut ſi judex non quidem dolo malo, ſed ex imperitiâ litem, ſuam fecerit pr. Inſt. de obliga. quæ q. ex delic. naſc. quia etiam craſſa hic in judice deprehenditur ignorantia. per l. ſi quis 5. § ſi judex 4. ff. de obliga. & action. In veris delictis autem culpa lata dolo æquiparatur eo tantum caſu, ſi non ad corporis pœnam agatur. Cagnolus ad d. l. 23. Vultejus cap. 15. diſcep. ſcholaſti. Quotiens itaq; de corporis pœna judicium ſit, aut res mali eſt exempli, totiens lata culpa à dolo, ipſo quoq; effectu ſeparata eſt, l. in l. cornelia 7. ff. ad l. corneliam de ſicariis, ibiq; VVeſenbe. num. 31. l. dolo malo 3. in pr. l. doli verbum in pr. ff. de ſerv. corrup. l. in furti actione 50. § ult. ff. de Furtis. fac. l. videamus 4. in fin. juncta l. ſeq. § 3. ff. de in litem juranda. Anton, Faber decad.

2. er-

2. erro. 8. Vultejus d. cap. 15. Delrio d. l. Zaſius d. lib. 1. Reſpon. cap. 2. Vivius li. 2. deciſion. 279. Goveanus ad l. ſi menſor. ff. ſi menſ. falſ. mod. dix. Oldendorp. hic. Et huc quæſtio illa ſpectare videtur, quâ inſignis quoq; differentia inter latam culpam & dolum monſtratur, quando videlicet quæri ſolet, an pactum de dolo nō præſtando valeat? Et Reſp. quod expreſſum pactum de dolo futuro remittendo, inutile & caſſum ſit l. jurisgentium. 7. §. 9. & 10. ff. de pactis. Sin autem quis paciſcatur de culpa lata, non præſtandâ tum tale pactum ipſo jure ſubſiſtit d. l. 7. § aut Prætor, 7. & § 15. ff. de pactis l. 1. § ſi convenit, & § ſæpè evenit 35. ff. depoſiti, Dynus ad cap. contractus de R. J. in 6. num. 5.

C) *d. l. 223. ff. de V. S. Et ita talis latæ culpæ reus, ob ipſam quoq; juris ignorantiam tenetur l. 9. § ſi quis. ibi. Quod ſi & § 2. ff. de jur. & fac. ignoran. l. ſed etſi 25. § 6. ff. de hæredita. petiti: Leges enim ab omnibus debent intelligi l. leges ſacratiſſimæ C. de ll. l. in omni parte ff. de jur. & fac. ignoran. Bartol. & alij in d. l. quod Nerva Diſſent. Coraſius li. 4. Miſcellan. caq. 17.*

Positio IV.

Levem culpam [A] deſcribimus negligentiam, [B] quam ſecundum communem hominum

 naturam

naturam prudentes ac diligentes Patresfamilias vitâſſent.[c]

A) *Levis dicitur, Græcis ἀμέλεια, non, quod tàm grande damnum non adferat (cum alteri interdum per eam maximum creetur incommodum) ſed quod conjecturâ colligi poſſit, reſpectu culpæ latæ, animum nō tantâ incurioſitate ſeu imprudentiâ præditum fuiſſe, Udalric. Zaſius li. Conſili. 20. Quemadmodum enim in dolo & latâ culpâ mens delinquentis inſpicitur; Sic quoque in culpâ levi ſimplicitatis minoris ratio habetur, arg. l. 35. & l. 48. § 2. ff. de furtis. l. 20. C. Eodem. Et hæc culpa, neq; dolo, ut lata, nec caſui fortuito ut leviſſima, eſt proxima, atq; eam ob cauſam, quando culpa ſine ullâ adjectione & ſimpliciter ponitur, ut plurimum levis indigitatur, uſq; adeò, ut in dubio, qn. leges mentionem culpæ faciunt, hâc de levi ſint accipiendæ l. in venditionem 8. § de tempore 3 ff. de Rebus aut. jud. poſſiden. l. Prætor. ait 9. §. eſt præterea ff. Eodem l. Socius Socio 72. ibiq; Gothofr. in not. ff. pro Socio. § 9. verſ. an etiam culpæ Inſt. Eodem l. Si ſervus 108. § cum quid 12. verſ. ſicut in contractibus ff. de legat. 1. l. ſi filiofamilias 25. §. maritum ff. ſoluto matrimonio. l. ſi mora ff. Eodem. Niſi tamen ſubjecta materia aliud ſuadeat, ut in l. imperitia 132. ff. de R. J. § imperitia Inſt. de L. Aquil. Vid. Andreas Geil. lib. 2. obſervation. III. num. 25. & reliqui quos ibi citat Coraſ. d. lib. 4. Miſcel. cap. 1.*

Qui-

Quibus adde Petr. Fabrum in d.l. contractus, ubi etiam Rævardus, Decius, 3. notab. & Cagnol. num. 12. & 27. Alciatus in d. l. magna ff. de V.S. Gædd. de contrahend. ſtipula. cap. 11. num. 30.

B) *Cum Bartolo in d. l. quod Nerva quæſt. 6. Columell. 8. ubi hanc culpam vocat incircumſpectam deviationem, Baldo in l. quæ fortuitis Columel. 4. in fin. C. de pignorati. actio. Gædd. ad d. l. 213. § ult. ff. de V.S.*

C) *l. 72. ff. pro ſocio. opponitur itaq; huic culpæ ea diligentia, quam bonus Paterfamilias præſtare ſolet, text. in l. 35. § ſi res 4. ff. de contrahend. emptio. l. ea igitur 14. ff. de pignorati. acti. § item 5. Inſt. de L. Aquilia. Zaſius in l. ſi mora ff. Solut. matri. nu. 3. Et hæc diligentia vocatur ſæpenum. cuſtodia, ut in l. 2. ff. uſufructuar. quemadmodum cav. l. 14. in pr. & §§ ſeqq. ff. de furtis l. 35. § 4. ff. de contrahend. empti. l. 4. l. 28. C. locati. l. 17. § ſi cum mihi ff. de præſcrip. verb. l. 52. § damna ff. pro ſoc. Paulus 5. ſententi. 4. Vultejus diſcep. ſcholaſt. d. cap. 15.*

Positio V.

Leviſsima, [A] nihil aliud eſt, quam præteritio ſeu omiſsio ejus curæ, quam diligentiſsimus quiſ-

quiſque Pater familias ſuis rebus præſtare ſolet. [B].

A) *Quæ opponitur diligentiæ exactiſſimæ l. 18. in pr. ff. commodati. Neq. hoc loco ſufficit ea diligentia, quæ in rebus propriis ſolet adhiberi, ſi alius diligentior adeſſe potuerit, vultejus d. cap. 15. Et hanc exactiſſimam diligentiam JCti, ut plurimum diligentiam ſimpliciter vocitare conſueverunt l. ſi ut certo 5. § 9. l. in rebus ff. Commodati. l. 2. § cuſtodiam 1. l. 3. ff. de pericul. & commod. rei vendit. l. cum res 47. § culpa ff. de legat. 1. Theoph. ad § 1. Inſt. de obligati. quæ q. ex contrar. naſc. Delrio d. l. Cujacius lib. 5. ad African. in l. ſi ſervus 108. §. cum quid ff. de legat. 1. Niſi fortè res ipſa aliud ſuadeat, ut fit in l. magiſtratus 6. ff. de adminiſtra. rer. ad civita. pertinen. l. 1. in pr. ff. de tutel. & ration. diſtrahend. § fin. Inſt. quibus mod. re contrahi. obliga. Plus ergò eſt in diligentia, quam in cuſtodia, hinc fieri videmus, ut diligentia quidem interdum dicatur cuſtodia, ſed cum additamento quadam, puto cuſtodia plena l. 2. § cuſtodiam ff. de pericul. & commod. rei vendi. ſeu cuſtodia diligens l. 5. § cuſtodiam ff. commodati. l. 1. § 7. ff. de Fugitivis. Vult. d. cap. 15.*

B) *l. 1. § is verò 4. ff. de oblig. & actio. l. in lege 44. ff. ad L. Aquili. fac. l. culpâ caret, ff. de R. J. vide prolixè Martinum Delrionem in d. l. contractus, pr. ubi etiam Franciſ. Duaren. Petr. Fabrum Cujac. & reliquos*

liquos ibidem. Jaſon. in Intellectu d. l. quod Nerva Zaſium in d. l. ſi mora ff. ſolut. matri. Gædd. ad d. l. 213. § ult. ff. de V. S. Gregor. Lopez. in ſuis animadverſ. cap. 17. num. 5.

Positio VI.

Uſus & effectus [A] eorum, quæ hactenus de ſpeciebus culpæ ſunt allata, potiſsimùm circa materiam contractuum ſeſe exerit, quorum natura quoad præſentem diſputationem, præcipuè rurſus cernitur in vulgari illâ, maximè tamen diviſione neceſſariâ [B] contractuum bonæ fidei & ſtricti juris: Bonæ fidei [C] contractus vocamus eos, ex quibus ultrò citroq; naſcuntur obligationes [D].

 A) *Qui*

A) *Qui optimus dicendi magiſter; Et ſine quo nec Medici nec Imperatores, nec Oratores, quamvis artis præcepta perceperunt, quicquam laude dignum conſequi valebunt, teſtante Cic. 1. Officiorum.*

B) *Nihil enim in jure noſtro frequentius, & ſcitu dignius vel utilius eſt, quam benè noſſe hanc ipſam diviſionem, ita ut non aliter ac egregiè Antonius Faber decad. 9. Error. 1. in pr. dixerit: Hanc qui ignorat, eum in omni juris parte deſipere neceſſe eſt, aut Prudẽtibus ipſis, qui eam tam accuratè explicant, eſſe prudentiorem. Angelus in § actionum, Inſt. de action. ſubſtantificam eam appellare non erubuit. Vid. & Cujac. li. 11. Obſervation. cap. 38. in fin. Mynſing. in d. § actionum nu. 2. cum ſeqq. Zaſius in Rubrica de acti. num. 1.*

C) *Quid? Annon bonam fidem in omnibus contractibus æquum eſt conſiderari, juxta Imperatorum Diocletiani & Maxi: ſententiam in l. bonam fidem 4. C. de Oblig. & Actio. Ita ſanè eſt, quoties videlicet bonæ fidei mala fides opponitur, id quod comprobatur l. 1. C. de reſcind. venditi. l. ſi cum fundũ 68. ff. de contrahen. empti l. ea verò 3. § ſocietas ult. ff. pro ſocio l. & hæc 35. in pr. ff. locat. cõduc. l. qui filiũ 22. in pr. ff. de manum. teſtam. l. igitur 12. ff. de liberal. cauſa l. 1. C. de præſcr. longi temp. fac. l. 57. ff. de R. J. & cap. bona fides, eodem in 6. Verum enimverò cum bona fides quãdoq; ſtrictè & in proprio ſuo ſignificatu accipiatur, ita ut è diametro juri rigido opponatur, & idem ſit ac bonum & æquum, haud immeritò;*

tò dicendum, talem bonam fidem in omnibus contractibus non apparêre ſed in iis tantummodo, ex quibus aliquid invicem actorem oportet præſtare reo, ut loquitur Juſtinianus in § bonæ fidei 30. Inſt. de Actioni. ſeu in quibus ſtrictum aut rigidum illud jus non ſpectamus, ſed id potius, quod æquitatis & benignitatis ratio poſtulare videtur, ſequimur l. 7. ff. de negot. geſt. § penul. Inſt. de locati. l. 29. § quædam ff. mandati. Facit huc locus Ciceronis lib. 3. Officiorum, ubi ex placito optimi ſui temporis JCti. Quinti Mutij Scævolæ, idem affert de iis, in quibus utriusq; contrahentium utilitas verſatur, ſive per ſe, id eſt, ſecundum naturam contractus, uti fit in emptione venditione, Locatione conductione, ſocietate &c. Sive per accidens, ut fit in commodato depoſito. &c. Et illud Plauti in Moſtel. act. 3. ſce. 1. in fin. ibique Taubman.

TR. De vicino hoc proximo, tuus emit ædes filius.
TH. Bonan' fide? TR. Si quidem es argentum redditurus, tum bonâ; Si redditurus non es, non emit bonâ.

In ejuſmodi itaq; negotiis ultrò citroq; obligatoriis compenſationem ſeu diminutionem rei petitæ ipſo jure admitti firmiter aſſerimus per § 30. & 31. ibiq; Hotoman. Inſt. de Action. l. compenſationes ult. C. de compenſation. Cujaci. 15. Obſervati. 12.

D) *Græcis dicuntur* συναλλάγματα δίπλευρα, *h. e. contractus ultrò citroq; obligatorij, in eodem ſcilicet negotio, Gædd. d. cap. 8. num. 14. Vulte. ad § actionum au-*

tem Inſt. de Action. Anton. Faber decad. 9. erro. 1. 2. & 3.

Positio VII.

Horum igitur bonæ fidei contractuum, quidam recipiunt latam culpã ſolùm, [A] quidam prȩter latam etiam levem, regulariter tamen [B] (excepto mandato & commodato) nunquam leviſſimam. Sive ſint in illorum numero qui re ineuntur, ut pignus [C] & commodatum [D].

A) *Quamvis quidem lata culpa non minus ac dolus in omnibus contractibus præſtetur, veruntamen non in omnibus ea ſola, ſed vel ſimul levis, vel interdum quoq; leviſſima. Sola autem lata regulariter exigenda venit in contractu depoſiti d. l. contractus 23. ff. de R. J. l. 5. §. nunc videndum ff. commodati l. 1. § in conducto 10. ff. depoſiti. Niſi fortè aliter inter contrahentes convenerit, vel quis depoſito ſeſe obtulerit, iis enim & ſimilibus caſibus non tàm levem quam leviſſimam culpam præ-*

præſtari certi juris eſt l. 1. § ſæpè evenit 35. ff. depoſiti, & ibi gloſſa; Petr. Gregorius li. 21. ſyntagma. iur. cap. 11. Hotoman. 3. Obſervati. cap. 2. His adde: Deci. ad d. l. 23. nu. 3. Schneidevv. ad §. 3. nu. 17. Inſt. quib. mod. re contrahi. obli. Moz. de diviſi. depoſi. num. 3. Villal. in comment. opin. li. d. num. 63. Diſſent. Barbat. in cap. bona fides depoſiti num. 3. Ratio autem, cur in depoſito lata tantùm culpa præſtetur, eſt, quia ſolius dantis, tradentis ſeu deponentis utilitas in eo verſatur, nec ullum, quantumvis minimum interdum commodum depoſitarij regulariter vertitur. Hinc fit, ut ſi cui pecunia tradita, negligenter, non dolosè tamen cuſtodita, furto ablata fuerit, à depoſiti actione ſecurus ſit, cum talis deponens, ſibi potius quam alij hoc imputare debeat, quod amico parum curioſo, rem ſuam commendarit, per § Socius fin. Inſt. de Societa. § præterea 3. Inſt. quib. mod. re contrah. oblig. Cujac. in tract. 5. ad African. in l. 108. § 12. ff. de legat. 1. Sed quid ſi depoſitarius ſuis rebus ſummam diligentiam adhibere ſolitus fuerit, an & hoc caſu ad levem culpam tenebitur? Minimè gentium per ll. ſuper in pr. hujus lit. allegatas & argu. l. 20. ff. depoſiti. Cujaci. lib. 22. Obſerva. 30. Diſſent. Suerin. 1. repeti. prælecti. 19. accurſ. in d. l. 23. pr.

B) *Regulariter, hoc eſt, ex natura illorū contractuū dico, quia interdū per accidens uſu venit, puta ex conventione adjectâ, ut in illis quoq; leviſſima præſtetur, ſicut aliquando & ſola lata, id quod ex ſeqq. apparebit. Vid.*

Hotoman. Conſil. 27. num. 2. cum ſeqq. Vulte. ad § actionum a. Inſt. de Action. num. 6. & diſcept. ſcholaſt. cap. 15. Cujac. in d. l. 23.

C) *d. l. 23. juncto § fin. Inſt. quib. mod. re contrahi. oblig. Diſtinguendum tamen hoc loco eſt; 1. Inter pignus autoritate Magiſtratus conſtitutum; 2. Solius creditoris gratia datum, puta, ut pecunia credita in tutum redigeretur, alioquin etiam parati reperiri poſſent, qui ſine pignore roganti amico pecuniam crederent: Et 3. utriusq; cauſa, tàm creditoris quam debitoris, contractum, ut ille de re creditâ reſtituendâ certus ſit, hic verò pecuniam facilius ſibi concredendam accipiat. In priori caſu lata tantum culpa venit, l. prætor ait 9. § eſt præterea 5. ff. de Reb. autori. judi. poſſid. l. ſi finita 15. § ſi quis damni 30. ff. de dam. infec. Bartol. in l. 1. ff. de pignorati acti. In pignore verò ſolius creditoris cauſa exhibito, non tàm latam & levem, quam etiā leviſſimam præſtari, aſſerimus propter l ſi cum 13. § venit, ibi. & cuſtodia, ff. de pignorati. act. l. ſicut vim 19. verſ. ſed & cuſtodiā, ubi gloſ. C. de pignor. & hypot. Cujac. li. 19. Obſervat. c. 24. Ultimū deniq; casū quod attinet, in eo tantū levis cum lata exigitur l. ſi ſervos 25. ff. de pignor. acti. l. creditor. 7. C. Eodē. d. l. 5. § nunc videndum ff. Commoda. l. ea igitur 14. ubi Gothofred. in not ff. de pignor. acti.*

D) *In quem contractum præter dolum omnis culpa, etiam (ut dictum) leviſſima venit. Ratio, quia ſolius commodatarÿ ſeu debitoris gratia celebratur d. l. con-*

tractus

tractus de R.J.l. ſi ut certo 5. § 2. & § 9. juncto § ſi de me 14. l. in rebus 18. ff. commodati l. 1. § & ille quidē 4. ff. de oblig. & actio. § 2. verſ. at is Inſt. quib. mod. re &c. Delrio d. l. cap. 8. officium enim hoc loco à commodante præſtitum, eidem non debet eſſe damnoſum arg. l. ſed ſi quis 7. ff. teſtam. quemadmodum aperian. l. videlicet 29. ff. ex quib. cauſis major. in integrum reſti. l. abſentia 140. ff. de R.J. Notandum tamen hic vulgare illud. Ceſſante ratione ceſſat & ipſa diſpoſitio: Idcircò, quando commodati contractus non ſolius commodatarÿ gratia initus eſt, ſed vel utriuſq; tum levis tantum exigitur d. l. in rebus 18. ff. Commoda. Vel ſolius commodantis cauſa, & tunc ſola lata l. 5. § interdum 10. l. eum qui 10. § ſi rem 1. l. ſi mei cauſa 12. ff. Commodati. Delrio d. cap. 8. Vult. ad § ſequens illa Inſt. de Action. num. 69. cum ſeqq.

Positio VIII.

Sive ſint ex contractibus bonæ fidei qui conſenſu conſtant, ut: Emptio venditio, [A] Locatio conductio, [B] Societas, [C] & Mandatum, quod (ut dictum) leviſsimam quoq; exigit [D].

A) *Quem-*

A) *Quemadmodum enim certum eſt, hunc contractum utriuſq; gratia celebrari; Ita nō ſolum dolum, ſed & culpam levem in eo præſtandam eſſe rectè aſſeritur per § 3. verſ. quicquid, ubi Hotoman. Inſt. de Empt. vendi. Et dolus quidem committitur vel ante contractum, utpote, ſi quis per aſtutiam & dolosè ad aliquam rem emendam, inducitur, qualis contractus ipſo jure non ſubſiſtit l. 3. in fin. ff. pro Socio. l. 5. & 8. C. de Reſcind. venditi. l. Julianus 13. pr. ff. de Actioni. empt. & vendi. l. 7. pr. ff. de dolo malo. l. eleganter 23. in pr. & § 3. ff. de condictio. indebi. fac. l. ita demum 31. ff. de Recept. qui arbitr. receper. l. 2. § 5 ff. de dol. mal. met. excep. Mynſing. in § actionum a. Inſt. de Action. Schnedev. ibidem num. 24. Sichar. ad l. 7. C. de dol. mal. nu. 3. Oldendorp. claſ. 6. actio. 11. Geil. li. 2. Obſervati. 2. num. 6. Deinde committitur dolus vel in ipſo contractu. dum venditurus, tale vel tale quid rei ad venundandum expoſitæ, ineſſe dicit, quæ tamen poſtea non ita apparet, uti fit in l. ſi arborem 17. § hæc lex 3. ff. de ſervitu. prædior. Urban. fac. l. 43. § dolum malum ff. de Contrahen. empti. Vel deniq; poſt contractum, traditione tamen nondum ſubſecutâ, utpote ex morâ l. mora 32. ff. de Uſuris Oldendorp. d. l. Nec obſtat hâc in parte reſponſum JCti Pauli in l. item 22. in fin. ff. locat. conduc. & Ulpiani in l. in cauſæ 16. § idem Pomponius ff. de minori. Ubi dicitur quod in pretio emptionis venditionis, naturaliter licitum ſit contrahentibus invicem ſe decipere.*

Nam

Nam ibi rectè, in pretio conceſſam eſſe circumventionem, ſtatuitur, hoc eſt, in quantitate, pro diverſitate locorum aut temporum variabili l. pretia rerum 63. § 2. ff. ad l. Falcidiam. Naturâ ſiquidem ita comparatum eſt, ut emptor ſibi propoſitum habeat, rem quam viliſſimo emere, contra verò venditor eò intentus ſit, quo, quantum fieri poſſit, carius, ſeu (ut Plautus) contra aurum venundet l. item ſi 22. § fin. ff. locati. l. ſi voluntate 8. & l. dolus 10. C. de reſcinden. venditi. Sublatâ enim ſpe quæſtus, languet mercatus, ait Seneca. Interim autem talis circumventio pro dolo haudquaquam eſt cenſenda, ſed potius pro induſtriâ quâdam œconomica ſeu emporica ut vult Cujac. ad l. 1. ff. de dol. mal. vel ut Gotbofred. loquitur ad l. 16. § 4. ff. de minori. deceptio iſta, eſt ſtudium quoddam augendæ rei familiaris. Et hinc de jure Canonico quoq; permittitur, uti patet ex cap. cum cauſa, de Emption. venditi. Modo non ſit infinita, h. e. in quâ alter, ultra dimidium juſti pretij eſt deceptus, quo caſu aut recepto pretio res empta reſtituitur, aut defectus ſuppletur d. cap. cum cauſa l. rem majoris 2. C. de reſcinden. venditi. Novel. conſti. Auguſt. par. 2. artic. 34. Ubi Daniel Mollerus. Porrò venditorem ſicut ab omni dolo alienum eſſe oportet, ita quoq; in re venditâ, nondum tamen traditâ, & apud ſe relictâ, diligentis patrisfamilias officio fungatur, quo neglecto, culpæ expers non erit l. quod ſæpè 35. § ſi res 4. ff. de contrahen. emp. l. ſi vendita 11. ff. de pericul. & commod.

 rei

rei.vendi. d. l. 5. § 2. ff. commoda. l. quod ſi nolit. 31. § culpam 12. ff. de Ædilitio edic. l. 108. § 2. ff. de legat. 1.

C) *Qui contractus, ſicut aliàs iiſdem ferè juris regulis cum emptione venditione terminatur l. 1. l. 2. in pr. & § 1. ff. Locati § & quæ Inſt. Eodem; Ita etiam ut illo, ſic in hoc levis non autem leviſſima culpa ex natura contractus præſtatur d. l. ſi ut certo, 5. § nunc videndum ff. Commo. d. l. 23. ubi Cujac. & Cagnol. num. 70. Anchar. Conſil. 348. gloſ. ad l. nam ſalutem § 1. ff. de offic. præf. vigil. Alexander conſil. 50. num. 8. Geil. lib. 2. Obſerv. 21. num. 1. Schneidevv. ad § qui pro uſu Inſt. de Locat. conduc. Sed tamen rem aliter ſe habere, aliquis argumentari poſſet ex l. ſi merces 25. § columnam 7. ff. locat. conduc. l. qui mercedem 40. cum l. ſeq. ff. Eodem l. nauta 5. in pr. ff. naut. Caupon. ſtabu. Ubi dicitur etiam leviſſimam culpam venire in locationis contractu: Ad quod poſt aliorum reſponſiones videbimus in ipſo diſputationis actu quid obtineri poſſit. Nec ulterius obſtat l. in judicio 28. C. de locat. conduc. Ubi Imperatores Diocleti, & Maximi. ſtatuunt, in judicio locati conducti dolum & cuſtodiam venire; Ibi enim vox cuſtodia accipitur pro culpâ levi, non verò pro leviſſimâ Accurſ. in d. l. 28. Id quod haud rarò in jure noſtro fieri ſupra ſatis abundè demonſtravimus ad § 4. li. C. Latè & eleganter hâc de re differentem vide Vultejum d. cap. 15. pag. (mihi) 129. cum ſeqq. Cæterum ſi ædes conductæ incendio fuerint abſumptæ, in dubio culpâ leviſſimâ in-*

habi-

habitantis conductoris accidiſſe cenſebitur l.3.§ 1.ff. de offi. præfec. Vigil. Quia verò conductor de illâ leviſsimâ non tenetur, idcircò hâc in parte excuſatus erit, niſi fortè locator contrarium probaverit, Jaſon. in l. ſi quis ex argentariis § Prætor, num.30.ff. de Edendo. Mynſing. centur. 6. obſervat. 88. in fin. Geil. li. 2. obſervati. 21. vid. & Grammat. deciſ. 3. Roland à valle 2. conſil. 93. Maſcard. de probatio. concluſ. 892. num. 3 vel 2. Sebaſt. Medic. de caſibus fortui. quæſt. 7. num. 12. & 25. p. 2. & alij.

D) *l. cum duobus 52. § venit, & § utrum ergò 2. & ibi gloſ. l. & ideo 26. ff. pro Socio. § Socius ult. Inſt. Eodem. l. merito 51. in pr. ff. d. t. d. l. 5. § nunc videndum ff. Commo. l. actione 65. § morte 9. ff. pro ſocio. fac. l. verum eſt 63. in pr. ff. Eodem, ubi VVeſenb. in parat. Johan. Oldendorp. claſ. 4. acti. 21. Azo in ſum. C. pro ſocio. Leviſsima autem culpa in hoc contractu non niſi ex conventione locum ſibi vendicat d. l. 23. ff. de R. J. Ratio eſt, quia in ſocietate non unius ſed omnium communis utilitas vertitur d. § ult. Jam autem in rebus communibus talem ſufficit præſtare diligentiam, qualem in ſuis propriis ſocius adhibere conſuevit l. hæredes 25. § non tantum 16. ff. famil. erciſcun. arg. § item is, cui 2. ibi nec ſufficit, Inſt. quib. mod. re contrahi: oblig. l. quod ſæpè 35. § ſi res 4. ff. de contrahen. empti. Accedit & hoc, quod in re quæ in ſolidum mea eſt, poſsim eſſe negligens omninò, in re autem, quæ ex parte tantum, aliquatenus ſaltem arg. l. in re mandata 21. C. mandati*

Vult. ad § conſequens illa Inſt. de Action. num. 92. cum ſeqq.

E) *l. ſi procuratorem 8. § proinde 10. ibi. Nec culpa ff. mandati l. à procuratore 13. ubi gloſ. C. Eodem. Dynus ad cap. contractus de R. J. in 6. num. 4. Geil. 1. Obſervati. 45. num. 4. & 5. Cyn. in l. procuratorem C. mandati. Delrio ad d. l. contractus cap. 7. & Petr. Faber ibidem Vult. in d. § conſequens Inſt. de Actioni: num. 87. cum ſeqq. & diſcep. ſcholaſti. d. cap. 15. VVeſenbe. in parat. d. t. num. 10. Connan. li. 7. comment. cap. 14. num. 7. Diſſent. Duarenus ad t. ff. mandati, & alÿ per l. idemq; 10. in pr. ff. d. t. Quibus tamẽ ſufficienter reſpondet gloſ. in d. l. 13. Quamvis autem hic contractus ejus ſaltem utilitatem concernat, cujus negotium geritur, id eſt, mandantis, & ſic dolum tantum ut in depoſito recipere videatur arg. l. 5. § nunc videndum; ibi. quia nulla ff. commodati. Veruntamen, quia mandata, utplurimum abſq; accuratâ proviſione & diligentiâ expediri nequeunt, meritò mandatarius ad omnis culpæ præſtationem tenebitur, cum recipiendo mandatum, ad illam ipſam induſtriam, quæ ad perficiendum mandatum requirebatur, ſeſe adſtrinxerit, per tex. ſupra alleg. Vid. Gilbert. Reg. lib. 1. ἐναντ: cap. 19. Diſſent. Everbard Broncborſt, centur. 1. ἐναντιοφ: aſſerti: 74. Ubi tamen poſtea ipſe aſſerit, culpam leviſſimam eâ in re exigendam eſſe, quæ diligentiam exactiſſimam requirit. Cæterum, mandatum retulimus inter contractus*

tractus bonæ fidei, & quidem per textum in § actionem autem 28. Inſt. de Action. ibiq; Vult. Hotoman. Schneidevv. & vulgò Dd. Moz. de contrac. cap. de diviſ. contrac. num. 25. Hinc etiam Rubricæ ff. & C. conceptæ ſunt: Mandati vel contra. Actio enim directa datur mandanti adverſus mandatarium; Contraria verò mandatario in mandantem, ſi quid impenderit; & ita luce meridianâ clarius apparet, huncce contractum eſſe ultrò citroq; obligatorium, & per conſequentiam bonæ fidei. Diſſent. ex parte Riminal. 4. volu. Conſil. 467. num. 102.

Positio IX.

Sed & improprii ſeu quaſi contractus bonæ fidei ſolā quoque levem non verò leviſsimam culpam exigunt; ut puta: Negotiorum geſtio, [A] Tutelæ adminiſtratio, [B] Rei communio, [C] & alii [D].

A) l. ſi negotia 11. ff. de negot. geſt. l. tutori 20. C. Eodem. Paul. li. 1. ſententiar. 4. d. l. 23. de R. J. verſ. negotia geſta ubi pro quidem malumus quidam legere. Ratio autē cur negotiorum geſtor non teneatur ad culpam leviſſimam, eſt, quia nemo facilè alterius negotia adminiſtranda ſuſciperet, quod tamen fieri, publicæ utilitatis intereſt, arg. pr. verſ. ne rerum dominia Inſt. de Uſucapi. & præſcript. Nec obſtat l. ſi mater 24. C. de Uſuris; Nam ibi mater ad diligentiam omnem, illam ſcilicet, quam ſuis rebus præſtat, compellitur, jam autem quoties talis requiritur diligentia, toties culpa levis tantum venit exigenda, arg. l. 25. § 16. ff. famil. erciſcun. Vid. Everhard Broncborſt. centur. 1. ἐναντιοφ: aſſert. 74. Diſſent. Cujac. ad d. ſent. 1. Pauli 4. & in d. l. 23. Borcholt ad § 1. Inſt. de oblig. q. ex contrac. Gothofr. ad l. 3. § 9. ff. de negot. geſt. Et hæc quidem de naturâ hujus contractus, aliàs reperiuntur caſus ſingulares, in quibus interdum negotiorum geſtor de latâ ſaltē culpâ tenetur, puta ſi quis affectatione ductus alienis negotiis jamjam interituris, ſeſe obtulerit. l. ait prætor 3. § interdum 9. Ubi Gothofr. in not. ff. de negot. geſt. Alioquin etiam de leviſſima, ſi videlicet alius diligentior negotia adminiſtraturus fuiſſet, & ita intelligendus eſt § igitur Inſt. de Obliga. quæ quaſ. ex contrac. ibi. ſi modo alius. l. ſi pupilli 6. § videamus 12. ff. de negot. geſt. Oldendorp. claſ. 4. acti. 25. in prac. num. 3. Petr. Gregor. li. 29. Syntagma jur. cap. 2. num. 4. Petr. de Ravenna in

in ſuo Alphab. li. N. verſ. negotiorum geſtor. Hotoman. in § 1. ad verbum: exactiſsimam Inſt. de obliga. quaſi ex contrac.

B) *l. cum tutor. 18. ff. de tutel. & ration. diſtrahen. l. ſine hærede 32. § Modeſtinus 1. ff. de adminiſtra. & pericul. tutor. l. quicquid 7. C. arbitrium tutelæ. l. ſi liberti 10. & l. ſi tutoris 23. C. de Adminiſtra. & pericul. tutor. fac. l. tutor qui repertorium § competet 2. ibi per ſordes aut gratiam ff. Eodem d. l. 23. ubi Delrio & vulgò Dd. Schneidevv. ad § datus Inſt. de Excuſati. tutor. Alciatus ad l. 226. ff. de V. S. Cujac. in parati. C. Arbitrium tutel. Hotoman. ad § 2. ibi. tutelæ actio Inſt. de obliga. q. ex contrac. & accuratè Broncborſt. d. cent. 1. aſſerti. 74. Diſſent. Accurſ. in § 6. Inſt. de ſuſpect. tutor. quem ſatis refellit Petr. Faber in d. l. 23.*

C) *d. l. ſi ut certo 5. § nunc videndum ff. commodati d. l. contractus quidã ibiq; Cuja. l. ſi major 4. C. communi dividun. Joan. Oldendorp. claſ. 4. acti. 22. Ratio eſt, qui in rei communione utriuſq; etiã utilitas verſatur, puta ſi duobus res aliqua legata ſit, vel duo pariter rem aliquam emerint, arg. l. hæredes 25. § non tantum 16. ff. famil. erciſcundæ. § item ſi, Inſt. de obligati. quaſi ex contrac. l. nihil autem 2. in pr. ff. commu. dividun. In rerum communione igitur non tantum provocare alteri ſociorum lictum eſt, & communi dividundo agere, l. 1. & 2. l. per hoc judicium 4. ff. communi dividun. Sed & damni quod ipſius ſocij culpâ evênit, reſartionem petere,*

tere,

tere, utpote ſi alter ſociorum permittat in communem fundum, mortuum inferre, & ita locum religioſum ſeu commercio hominum exemptum facere. Vel non utendo ſervitute aliqua, communi prædio debita, alter eam amiſerit, de quibus & ſimilibus aliis in l. locum 2. § qui mortuum 1. in fin. ff. de religioſ. & ſumpti. funer. l. etſi non 8. § venit 2. ff. Commun. dividun. l. ſi is cum 20. ff. Eodem. d. l. 4. in fin. C. Eodem.

D) *Ut dotis datio d. l. 5. § nunc videndum & d. l. 23. l. in rebus dotalibus 17. in pr. ff. de jure dotium l. in his rebus 66. in pr. ff. ſolut. matrimo. l. in partem ult. ff. Eodem. Sed tamen hoc loco interdum aliter ſe res habet: Quemadmodum enim, ſi maritus, in exolvendâ vel reſtituendâ dote moram fecerit, eaq; interierit, de leviſſimâ culpâ tenetur per l. quod te 5. verſ. per te factum &c. ff. de rebus credi. l. ſi ex legati 23. ff. de verb. obliga. Sic è contrario ſi in recipiendâ dote vel rebus dotalibus occupandis ab uxore mora interceſſerit, tum maritus latam tantum culpam præſtabit l. etiam filios 18. § licet 1. ff. ſolut. matrimon. l. ſemel mora 26. ff. Eodem. Porrò huc quadrare videntur: communio hæreditatis § 4. Inſt. de oblig. quaſi ex contrac. Aditio hæreditatis, id eſt ad quid hæres legatariis teneatur § hæres quoq; inſt. Eodem. ubi etiam leviſſima venit exigenda per l. 47. § 5. ff. de legat. 1. Et ſi qui ſunt alÿ hujus generis contractus.*

Po-

Positio X.

In ſtricti verò juris [A] contractibus (ubi alteruter tantùm contrahentium obligatur) [B] verbi gratia in mutuo venit omnis culpa; [C] Stipulatio verò, recipit latã & levem ſaltem, [D] non etiam leviſsimam, niſi ita contrahentibus placuerit, [E] aut promiſſor in morâ fuerit [F].

A) *Jus ſtrictum, eſt peculiare & proprium JCtorum vocabulum & ſignificat, jus prædurum exactum & rigoris plenum. Budæ. ad l. 1. ff. de Juſti. & jur. Interdum ſubtile vocatur, ut in l. ſi ita ſcriptum 13. in pr. ibi. Subtilis juris regulæ ff. de liber. & poſtum. Stricta ratio in l. 43. ſub finem ff. de relig. & ſumpti: fun. Apices juris in l. 29. § 4. ff. mandati. Mera cognitio l. 14. § 13. ff. de religioſ. & ſumpti. funer. Subtilitas verborum l. 20. in fin. ff. de Reb. credit. Apud alios verò probatos autores ſummum jus appellatur, ut Cic. in orat. pro Publ. Quinct. Si quid, ait, in controverſiam veni-*

ret, aut intra parietes, aut ſummo jure experiretur &c. Columel. lib. 1. de Re ruſti. ſummum jus (inquit) antiqui ſummam crucem putabant: Et hinc teſte Cicero lib. 1. officior. trita illa jactatur paræmia: Summum jus, ſumma injuria eſt; Quod tamen adagium, quomodo defendendum ſit, nondum liquet. Promanavit autem ex antiquorum documentis, qui ſummum jus illud dicunt, cum de verbis tantum contenditur, nec ſpectatur, quid ſenſerit is, qui ſcripſit aut locutus eſt, & ita quemadmodum alias ſæpenumerò ſub autoritate juris ſcientiæ, ſic perniciosè quoq; hâc in parte error committitur, uti queritur Celſus adoleſcens apud Julium Paulum in l. ſi ſervum 91. § 3. ff. de Verb. obligati. Jus ergò ſtrictum propriè dictum, eſt juris ſcripti, ut ſcripti prædura interpretatio Gotbofr. ad l. placuit 8. C. de judiciis. Et opponitur æquitati l. 2. § item Varrus ff. de aqua & aq. pluv. arcend. ſeu bono & æquo l. in his 16. ff. de condicti. & demonſtrati: Hinc ſtricti juris actiones dicuntur, in quibus ita ad formulam præſcriptam judices ſunt adſtricti, ut nec pluris, nec minoris, reum poſſint condemnare, vel quæ ſtricto jure ſunt circumvallatæ, § actionum Inſt. de action. l. unica § ſed et ſi non ignoramus C. de Rei uxor. actio: Quod enim hoc loco verbis expreſſum non eſt, prætermiſſum intelligitur l. quicquid 99. in pr. ff. de Verb. obliga. l. ſi ita ſtipulatus 126. § Chryſogonus 2. ff. Eodem. Referri huc poteſt locus apud Ciceronem in Orati. pro Q. Roſcio; Ubi judicium, id eſt; actio

ctio ſtricti juris (*inquit*) *eſt pecuniæ certæ, ut mutuum. Arbitrium verò, id eſt, actio bonæ fidei incertæ &c. Vid. Coraſ. li. 2. Miſcel. cap. 8. Vultej. lib. 2. jurispruden. Roma. cap. 4. num. 41. cum ſeqq. & in ſuo comment. ad § actionum, num. 4. & 5. & § præterea num. 15. Inſt. de Action.*

B) *Græcis dicuntur* συναλλάγματα μονόπλευρα, *h. e. contractus ex uno tantū latere obligatorij, propterea, quod in iis unus tantummodo contrahentium obligetur. Verum hoc conceſſo, ſequitur ſtricti juris contractus planè non eſſe contractus, quia Ulpianus in l. Labeo 19. ff. de V. S. definit contractum ultrò citroq; obligationem, id eſt, conventionem ultrò citroq; obligatoriam. Quæ definitio, quamvis interpretibus non parum negotij faceſſerit, ita ut adhuc lis ſub judice eſſe videatur, nos tamen à ſcopo haud aberrabimus, ſi dicamus, Ulpianum ibi duntaxat recenſere ſententiam Labeonis, ut rectius explicet verba edicti de minoribus, in quo Prætor uſus erat vocabulo* geſtum, *uti patet ex inſcriptione d. l. 19. & l. 7. in pr. & § 1. ff. de Minori. juncta l. 1. § 1. ff. Eodem. Labeo autem in d. l. 19. rudi tantum Minervâ contractum ab Acto & Geſto diſtinguit. Cæterum quæ ſit de definitione contractus vera JCti Ulpiani ſentētia, id abundè conſtat ex l. 1. § 3. ff. de pactis & l. jure gentium 7. §. 1. ff. Eodem. Unde Vultejus optimam ſuam definitionem eruit in Jurispruden. Roman. lib. 1. cap. 30. & in pr. Inſt. de obliga. num. 32. 33. 34. & 35.*

Quamvis inficias haud eamus, magnum eſſe uſum d. l. 19. in noſtrâ juris arte & egregiè facere ad venanda factorum licitorum ſumma genera.

C) *Quin & caſus fortuitus l. 1. § & ille quidem 4. ff. de Obligati. & action. § item is, cui, ubi Borcholt. Mynſing. & VVeſenb. ad pr. Inſt. quib. mod. re contrahi. obliga. Schneidevv. ibidem num. ult. Ratio autem, cur debitor in hoc contractu præter leviſſimam culpam, etiam de caſu fortuito teneatur, eſt; 1. Quia debitor generis dicitur, quod nunquam perit, l. cum quid 3. ff. de Reb. credit. pr. Inſt. quib. mod. re contrahit. obliga. 2. Quia rei Dominus factus eſt mutuatarius l. mutuum 2. § appellata 2. & § in mutui 4. ff. ſi cert. petat. d. pr. Inſt. quib. mod. re contrahi. oblig.*

D) *Et illa quidem in committendo, non etiam in omittendo (ubi lata tantum præſtatur) conſiſtit l. ſi ſervum 91. in prin. l. ſi ſticbus 33. ff. de verb. obliga. l. verborum 107. ff. de ſolutio. l. is qui 51. ff. de Verb. obligati. Videatur omninò Gædd. de contrahend. & comitten. ſtipulati. cap. 11. concluſ. 4. num. 23. cum ſeqq. ubi diſſentientes ſimul introducit. Cæterum ſtipulationem eſſe contractum ſtricti juris, ſatis patet ex l. in actionibus 5. § planè cum l. ſeq. ubi Duaren. ff. de in litem jurando l. unica § ſed etſi 2. ibiq; gloſ. & Dd. C. de Rei uxor. actio. Anton. Faber li. 5. conject. cap. 10. Gædd. d. l. cap. 8. Et verum ſeu proprium quidem non minus ac mutuum, liquet ex l. certi condictio 9. § quoniam 3. ff. de Reb.*

cre-

credit. l. ſtipulatio iſta 38. ff. de Verb. obligat. l. licet tamen 3. § idem ſcribit 11. ff. de peculio l. 1. § verbis ff. de Oblig. & acti. § 1. & penult. Inſt. de Verb. obliga. l. præpoſteri 25. C. de teſtament. l. prout quidq; 80. ff. de ſolution. l. an utilis 8. § acceptum 3. ff. de accept. l. fin. ff. de Servor. ſtipula. Vult. add. pr. Inſt. de V. O. num. 16. Diſſent. vulgò Dd. Bartol. Alciatus. Johan. Brechæus & Fornerius ad l. 19. ff. de V. S. Jaſon. ad l. 5. ff. de verb. Oblig. num. 4. gloſ. ad § conventionales, verſ. rerum contrahendarum Inſt. de diviſ. ſtipulation. & in l. 2. verſ. repellere, & verſ. nec obſtat C. de jure Emphyteut. Quibus tamen & aliis contradicentibus ſatis reſpond. Gæd. de contrahend. ſtipula. cap. 1. num. 28. cum ſeqq.

E) *Ut enim pactum in aliis, ſic in hâc quoq; contractus ſpecie legis vicem obtinet l. in conventionalibus 52. in pr. ff. de verb. obliga. d. l. contractus 23. ff. de Reg. Jur. l. 1. § ſi convent. 6. ff. depoſiti. cap. Contractus, de Reg. Jur. in 6. Vult. ad § fin. Inſt. de obligati. Cujacius in l. juris gentium ff. de pactis.*

F) *l. quod te. 5. ff. de Rebus credit. l. nemo 82. ff. de V. O. l. ſi ex legati cauſa 23. d. l. ſi ſervum 91. in pr. ff. Eodem. Gæd. d. l.*

COROL-

Corollaria.

I.

Quæritur, an Banccæruptor infamatus, poſsit adverſus infamantem injuriarum actionem inſtituere?

Diſtinguimus cum Conſtitutione Imperii, de Anno 1548. ſub rubr. Von verdorbenen Kauffleuten.

II.

Quæritur, utrum contractus præſcriptis verbis ſint bonæ fidei, an verò ſtricti juris?

Bonæ fidei eſſe, cum Ægidio Hortenſio defendemus.

Ad

Ad Reſpondentem.

Res arduas ſub arduis negotiis
Tibi Themis, Borni, bonâ credit fide,
Cum fœnore ut negotieris optimô.
Nec fallitur. Fidelitate pro tuâ
Res acriter ſúas agi, jam ſuſpicit;
Dum ritè perſtringis malas Culpæ notas.
Quæ matre Negligentiâ naſci ſolet
Secumq; cœcô proſerit ſatu Dolum;
Queis nil videt nocentius ſolis jubar.
Has ergo peſtes execraris limpidis,
Bòrni, ſcatebris optimæ fidei ſcatens,
Quam tradidiſti candidæ ſemel Dicæ,
In hujus (arduis licet) negotiis
Pergas fidelitate tantâ pergere,
Mercede gloriaberis quondam tuâ.
An ferre præmia huic Dicæ verebitur,
Cujus fidem cum gaudiô perſpexerit?

Gratulationis & Amicitiæ ergò ſcrib.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

M. Matthias Cutenius,
P. L. C.

FINIS.